

Proximo vere, Deo volente, plura sequantur, quum hyemem hanc herbario consecrabo. Benevolentia TVA erga me summa et desiderium ad amplificandam amoenissimam scientiam persuadent, ne libertatem hanc in malam partem accipias.

Dom. de Bertouch Legationis Secretarius haec specimina TIBI tradere promisit. Cognoscet ille merita laboresque principis historiae naturalis et ideo Vpsaliam petet, vt Virum celeberrimum frequentare possit, nec dubito, et eum, quae TUA est humanitas, benigne excipias.

Vale Vir illustrissime mihi que fauere perge.

Dab. Hafniae die XXII Octobr.

1772

Viro celeberrimo Dⁿ Car. a Linné Archiatro regio, Equiti de stella polari nobilissimo, Professore celeberrimo Upsaliae

(81) Viro generosissimo atque
celeberrimo
D. D. Carolo a Linné
Equiti aurato, Archiatro
nobilissimo, Professore ce-
leberrimo
s. p. d.
J. C. Fabricius

Pro informatione benignissima de plantis ad TE missis gratias ago easque maximas. Semper fuisti, semper eris vt Praeceptor mihi summus ita et suauiissimus. Deus conseruet vitam viresque, vt discipuli Tui diu adhuc ab instructione Tua profiteantur.

Magnus sane Hafniae exstat plantarum numerus a Forskâhlio Koenigioque missus. Iam diu impulsi magnates nostrates, vt describerentur, at plurimis negotiis imbuti, plantae obliuiscuntur. Custodiuntur nunc a D. Fries, qui, vt dicitur, gramina exotica haec figuris aeneis illustrabit. Praeterito